Lane Medical Library

DE

MORBIS AB ANIMALIBUS DOMESTICIS AD HOMINEM TRANSEUNTIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICO-COMPARATIVA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE V. M. SEPTEMBIS A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS PAGENSTECHER

NASSOVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

R. HAUPTMANN, MED. ET CHIRURG. DR.

O. SCHWARTZ, MED. ET CHIRURG. DR.

H. WEWER, MED. ET CHIRURG. DR.

BEROLINI,

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0177

PATRI

OPTIMO, CARISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quum jam per longius tempus omnes fere morbi corporis humani accuratius adumbrati essent, rarius tamen morborum mentio est facta animalia affligentium. Nullam enim esse rationem inter utrosque putaverunt. In fine autem saeculi XVIII, postquam clarissimus Jenner vaccinam non solum transire ad homines, sed esse etiam illis certissimam variolarum tutelam comprobavit, et huic et aliis animalium morbis majus est studium impensum. Ex quo quidem apparuit praeter vaccinam transire ad hominem hos fere animalium morbos: maliasmum, typhum carbuncularem, hydrophobiam, scabiem ovilem ulcerosam, aphthas epizooticas.

Equidem vero, quum jam antea hisce morbis majorem operam dedissem, compluribus, quos observavi, casibus inductus sum, ut quaedam scriberem de illis. Aptissimum igitur videtur, primum generalia quaedam disserere de contagiis, quibus nascantur morbi illi, deinde symptomata eorum referre et in animalibus et in hominibus. Denique quas feci de typho maliode observationes adjungam.

DE CONTAGIO.

In contemplatione geneseos morborum nunquam fugit medicinae auctores, quosdam morbos certis semper locis nasci, alios, quum semel nati essent, per magnas terras dilabi atque maximam hominum partem affligere. Causa autem prima omnium morborum haud difficile apparuit ex cibis, ex ipso terrae situ et ex constitutione aëris. Quae quidem non semper sufficere videntur ad procreandos morbos, sed aliae quoque eruendae sunt causae: complures enim epidemiae, nec aëre, nec cibis, nec terrae situ faventibus, tamen majore celeritate magnas terras occuparunt atque magnam hominibus cladem intulerunt. Inde mixtum aëri invisibile aliquid noxium crediderunt, miasma, quod majorem hanc propagationem efficeret. Alii vero morbi, quum corripuerint organismum humanum, ex illo ipso per contactum transire videntur ad alium, quae quidem genesis morborum contagiosa est nominata. Miasmatica igitur propagatio ex suspensis in aëre novis

et noxiis partibus sequitur, contagiosa per substantiam aliquam ex corpore aegroto exeuntem efficitur. Excitat autem contagium semper eundem morbum. In multis morbis duplicem hunc geneseos modum reperimus, gignuntur primum ex constitutione aëris miasmatica, inde vero producunt contagium.

De miasmate nihil certi notum, nisi quae forsitan ex contagii natura eo referre liceat. Est autem contagium, quod ex corpore aegroto profectum et translatum ad corpus sanum, in hoc ipso eundem profert morbum. Inhaeret contagium vehiculo cuidam, puri, muco, sanguini et excrementis corporis aegroti. Transfertur facillime ad remotos locos per vestes, per lanam et caetera, in quibus diutius obtinet efficacitatem. De natura vero contagii magnum adhuc certamen fuit, atque quidem contendebant alii, esse morbum in corpore vivo parasitum quasi viventem, qui quum adoleverit, ovula proferre possit fecunda, contagia, ex quibus in aliud corpus translatis idem existeret morbus. Ex quo quidem sequi, morbos non semper esse contagiosos, scilicet, quum non summam assecuti essent efflorescentiam. Hujus autem sententiae auctores minime ad illud respexisse mihi videntur, omnem vitae organicae vim in eo esse ponendam, quod quaecunque arripuerit, illa omnia quavis vita propria priventur atque organismo omnino subigantur. Alii vero esse

contagium animatum quoddam, non semen vel ovulum parasitici organismi, sed ipsum parasitum, causam, non productum morbi censebant.

Excipitur enim contagium a cute, si epidermis est remota, a tunicis mucosis et ab ulceribus. Inde per aliquod tempus latet, tum febris, plerumque cum inflammatione cutis, exoritur. Nullo autem modo semper recipi contagium in sanguinem crediderim. Observatae sunt ab auctoribus certissimis matres gravidae, variolis infectae, quarum infantes sani nati sunt. In sola hydrophobia sanguis vehiculum videtur esse contagii, quod quidem Hertwig per insitionem comprobavit. Augetur contagium in corpore aegroto in infinitum, itaque minima ejus pars sufficit ad morbum excitandum. Est autem corporis organici, assimilatione crescere et augeri, et certo quidem tempore efflorescere atque interire. Summum vero contagii animati argumentum in eo est, quod in quibusdam morbis contagiosis jam reperta sunt corpuscula animata, in scabie Acarus, in vaginitide Trichomonas vaginalis (Donné), in pure ulcerum syphiliticorum Vibrio lineola, quam Ricord in pure bubonum quoque invenit. In tinea capitis favosa Schoenlein fungum parvulum vidit, per quem transferri morbum ad aliud corpus complures auctores existimabant. De Acaro plurimae observationes sunt factae, ex quibus apparet, nasci scabiem in

corpore sano, quum transportaris Acarum gravidam. De scabie quoque ovili ulcerosa Morel de Vindé idem fere contendit. Quae omnia, etiamsi non gravissima sint argumenta, tamen hypothesin contagii animati verisimiliorem reddunt.

Haec quidem de contagio; de miasmate vero adhuc sub judice lis est. Priores enim auctores esse miasma substantiam aliquam noxiam voluerunt, quae in aëre ipso, plerumque ex substantiis organicis putridis nata, corpori sano morbum afferret. Quae definitio minus probabilis est. Acriter enim distinguendum videtur miasma intermittentium, miasma illud, ex quo morbi contagiosi oriuntur, et miasma, quod re vera effluviis animalibus putridis procreatur. De miasmate intermittentium multae quidem hypotheses jam constructae, imprimis causam ejus alii in aëris vi electrica, alii in stagnatione aquae quaerebant; nullo tamen modo certius quid jam repertum. Quod attinet ad miasma morborum contagiosorum, nihil est, cur nasci illos alio modo credamus, quam quo tradantur per successionem. Miasmate saepius oriuntur, orti producunt contagium; haud multum igitur interesse censeo inter hoc miasma et contagium; eadem fere substantia, contagium vero semper adhaerens vehiculo cuidam, miasma suspensum in aëre. Miasma autem febrium intermittentium nunquam producit contagium.

Jam quaedam de contagio morborum ipsorum, de quibus agimus, afferamus.

1. *Vaccinam* in homine nunquam genesi spontanea nasci, sed semper contagio quodam ab animalibus translato, jam diutius constat. Est vero vaccina equorum et vaccarum idem fere morbus: profert vaccina equorum in vaccis vaccinam veram. Sunt autem observatae epizootiae quoque vaccinarum, quae haud dubie sua sponte, nullo contagio ortae, majore clade affecerunt greges, quum vaccina illa sporadica nunquam fere mortem attulisset animalibus. Idem eventus fuit, quum ex epizootica vaccina ad hominem translatum esset contagium, ut in vaccina sporadica. Quae quidem epizootiae, quum eodem tempore florerent, quo homines variolis cruciarentur, jam esse commune aliquid inter variolas atque vaccinam ostendebant. Inde ab homine ipso variolae contagium transferri ad animalia contenderunt Coleman et Sacco; Thiele et Neumann et ex variolae contagio in animalibus vaccinam, et hac ipsa ad hominem iterum translata, tutelam variolarum effecerunt. Ex quo quidem jam sequitur, esse vaccinam variolam animalium, et certissimum igitur variolarum prophylacticum, quum, quicunque febrem exanthematicam, variolas, scarlatinam, semel superarit, is in posterum nunquam fere ab eadem affligatur. Inhaeret autem vaccinae contagium soli

pustularum contento, atque excipitur a cute externa vulnerata. Mirabilius videtur, vaccinam saepius bis efflorescere in eodem homine, quum tamen in illis, qui variola ipsa affecti fuerunt, nunquam fere increscat. Deletur contagium nimio calore et frigore, acidis etc.

2. De contagio *hydrophobico* nihil certius jam notum: alii esse venenum animale, alii contagium esse animatum censuerunt. Recipitur contagium a vulneribus, latet inde per aliquod tempus, ita ut vulnus saepe sanetur. Subito autem hydrophobia exoritur. Ex illis transire contagium in sanguinem, ibique crescere et augeri credo, donec commovere possit morbum ipsum. Nec tamen solo contagio gignitur morbus, sed spontanea quoque genesi, at nunquam nisi per contactum vulneris ad corpus aliud transfertur. In homine nullum contagium porro nascitur.

3. Ex omnibus, quae de *maliasmo* observata sunt, non dubitandum videtur, quin ab equis ad homines migret, atque duplice quidem modo:

a) Excipitur contagium, puri narium et muco adhaerens, a vulneribus cutis. Tertio, vel quarto post infectionem die exoritur inflammatio cutis, ad quam contagium est translatum, et vasorum lymphaticorum. Conformantur inde abscessus illi, maliasmo proprii, quorum quum alter sanetur, alter

aperitur, et in musculis surarum et pectoris, tum in glandulis submaxillaribus, tum in renibus et in testiculis. Ex quibus dyscrasiam perniciosam esse receptam in organismum apparet. Majore deinde, vel minore spatio intermisso, symptomata typhosa sequuntur.

b) Quum nulla translatione locali, sed miasmatica infectione exoriatur morbus, multo majus est periculum vitae. Jam ab initio enim adsunt symptomata typhosa periculosissima, summa virium prostratio, dolores artuum lancinantes, deliria typhomana. Inde, nisi antea succumbunt aegroti, abscessus exsistunt in musculis, in pulmonibus, in renibus, in hepate.

4. Contagium *pustulae malignae* in compluribus animalium morbis procreari videtur. Sunt enim testimonia, esse contagium translatum non solum ab equis, bobus, suibus et ovibus, sed etiam a cervis et a pullis. In plerisque autem casibus hi fere morbi nobis occurrunt, ex quibus oritur pustula maligna:

a) In equis et bobus *anthrax vulgaris*, *typhus carbunculosus acutissimus* et *glossanthrax*, sive *aphthae malignae.*

b) In ovibus et capris *erysipelas epizooticum* et interdum *angina carbuncularis.*

c) In suibus *angina* imprimis observatur et *stomanthrax.*

Quum autem hujusce morbi cognitio jam per majus temporis spatium exstitisset, tamen de origine ejus nihil fere certi exploratum erat; alii enim nasci morbum ex punctionibus insectorum virulentorum contendebant; alii sua quoque sponte oriri, pustulam malignam et carbunculum eundem esse morbum rati. Nunc vero produci contagium miasmaticum ex illis morbis constat, atque verisimile est, usu quoque carnis existere pustulam malignam. Est indelebile fere contagium: inhaeret per menses complures, immo per annos lanae et coriis animalium.

5. *Scabiem* animalium saepius transire ad homines, jam notum est. Reperitur, ut supra diximus, in illa interdum acarus scabiei. Transfertur autem morbus nullo alio modo, nisi per contactum corii, nunquam per usum carnis.

6. *Aphthas epizooticas* esse contagiosas jam dudum constat: inest contagium et puri pustularum et lacti ipsi animalium aegrotorum. Minime vero certum, utrum contagium a cute sana, an a vulnerata excipiatur.

DE VACCINA.

Afficiuntur hoc morbo vaccae et equi. Prodit quidem iisdem symptomatibus, quibus reliquae febres exanthematicae: antecedunt scilicet eruptionem languor corporis major, nulla ciborum appetentia nec ruminatio, lactis quoque secretio perversa. Qui prodromi quum per aliquot dies duraverint, ipsa fit eruptio sub finem diei tertii, atque maxime in uberibus, interdum in naribus et in palpebris. Sunt autem initio papulae rubrae, quae sub quartum vel quintum diem sensim in vesiculas abeunt. Inde suppurationis stadium initium capit: major animalis inquies, dolores uberum vehementes, imprimis quum comprimantur mammae. Contentum vesicularum paullatim flavescit, halones increscuut atque colorem accipiunt lividum. Sub nonum vel decimum diem vesiculae in pustulas mutatae sunt: febris tum exacerbatur secundaria. Duodecimo die post eruptionem effectam cessat febris et oritur exsiccatio pustularum: contentum earum exarescit et ipsae obducuntur crustis fuscis, quae octo vel decem dies remanentes cicatrices albidas relinquunt.

Percurrit vaccina in homine quatuor stadia fixa:

1. Stadium *infectionis:* latet contagium in vulnere, nec ulla praebet morbi symptomata.

2. Stadium *efflorescentiae:* tertio vel quarto die apparet papula parva in eodem loco, ad quem contagium erat translatum, sensim increscit, rubore suffunditur, accipit impressionem in media parte; tum mutatur in vesiculam. Eodem tempore halone rubro circumdatur.

3. Stadium *suppurationis.* Sub diem octavum vel nonum omnes vesiculae in pustulas transmutantur; febris postea secundaria plerumque exoritur. Impressio pustulae media, umbo, evanescit; inflammantur glandulae adjacentes et vasa lymphatica. Quod quidem stadium durat per quatuor dies.

4. Stadium *exsiccationis:* halo fit pallidus, contentum pustularum fuscum, granulatum, et sub diem morbi decimum quartum vel sextum omnes pustulae crustis obtectae sunt. Remanent cicatrices albae, rotundae, striatae, margine acuto prominente.

DE HYDROPHOBIA.

Hydrophobia in solis canibus genesi spontanea nasci videtur, secundum observationes, quas de illa fecerunt Blaine, Greve, Waldinger, Froriep

et Hertwig: ad alia animalia semper per contagium transire. Duplex est modus, quo decurrit morbus: excellunt canes aut alacritate, vigilia, agilitate nimia, latratu frequentiore et majore mordacitate — *hydrophobia furens* —; aut majore moestitia et quiete — *hydrophobia immota.*

In primo morbi genere praeterea jam ab initio alvus suppressa et valde sensibilis, appetitus perversus; magna semper aquae appetentia, dum ob faucium inflammationem deglutitio nondum impedita est. Ingressus, antea certus et celer, fit mox impeditus atque vacillans; sub finem paralysis extremitatum insequitur. Cauda minime ad anum apposita est, sed plerumque erecta. Insignis est mordacitas, mordent enim canes aegroti omnia, quae illis obviam fiunt, imprimis feles et homines, unde ad hosce plerumque contagium transfertur. Quod vero attinet ad latratum, vox ita rauca atque perversa, ut facile ex illa ipsa agnoscas morbum.

In altero hydrophobiae genere major adest tristitia animi atque quies, nulla mordacitas, eadem vocis commutatio. Ob paralysin maxillae inferioris omnis aquae deglutitio est praepedita; linguam tamen et rostrum saepius protendunt canes in aquam. Hydrophobiae igitur nomen minime aptum videtur.

Ex dissectione cadaverum nihil adhuc apparuit, commemoratu dignum, nisi magna dissolutio san-

guinis et status intestinorum inflammatorius. Inflammatio faucium saepius reperitur.

Ad *hominem* autem quum transierit hydrophobia, tria ejus stadia sunt distinguenda: incubationis, melancholicum et hydrophobicum.

Nondum constat, quantum sit spatium primi stadii, alii ad menses complures, immo ad annos protrahi contenderunt. Nulla tamen in eo signa pathognomonica observantur, nisi in eorum numero habeas vesiculas illas, quas Marochetti sub lingua reperit. Altero autem stadio ineunte vulnus, per quod contagium est translatum, iterum aperitur, atque ichor secernitur putridus et foetidus. Dolores vulneris vehementes semper adsunt. Magna est moestitia animi et iracundia et prostratio virium; simul jam prodeunt spasmi artuum, carphologia, interdum sensuum mendacia et deliria. Tribus diebus ita peractis stadium *hydrophobicum* existit. Est quidem eximium siti permagna et hydrophobia. Adest enim inflammatio oedematosa et coarctatio inde pharyngis summa, ita ut omne conamen edendi aliquid vel bibendi convulsiones commoveat ob respirationem impeditam. Tum nascuntur spasmi tonici, tetanus et trismus, in quorum paroxysmis aegrotus omnino amens esse videtur. Intermissiones semper rariores et breviores fiunt et inter tertium ac quartum diem succumbit aegrotus.

Nullum quidem in cadaveribus signum est repertum pathologicum, ex quo morbus tam gravem et perniciosum decursum ceperit.

DE MALIASMO.

Maliasmus equorum jam a veteribus auctoribus saepius observatus est, nec tamen ratio ejus satis explorata videtur, quum alii adhuc localem esse exulcerationem membranae nasi mucosae, alii dyscrasiam totius sanguinis contendant; quibus quidem plurimi assentiuntur.

Ab initio hyperaemia tunicae mucosae et blennorrhoea tantum videtur adesse, brevi autem tempore ex ulceratione narium phagedaenica, ex odore profluvii foetido et ex collapsu virium omnium catarrhum benignum non esse concludes. Sunt ulcera syphiliticis simillima, atque oriuntur eodem fere modo ex vesiculis parvis. Quae, quum per aliquod tempus constiterint, semper ossa subjecta afficiunt. Simul intumescunt glandulae submaxillares et sublinguales, rarius tamen in suppurationem abeunt. Post aliquod temporis spatium appetitus pabuli perturbatur, digestio pervertitur atque macie extabescunt equi. Respiratio est impedita, tussis praebet sputa sanguinea, putrida: sudor continuus reddit capillos hirsutos. Febris hectica adducit mortem.

In cadaveribus equorum praeter ulcera narium phagedaenica imprimis occurrunt signa inflammatoria pulmonum, hyperaemia, hepatisatio, adhaesiones inter pleuras, exsudationes serosae et fibrosae. In compluribus casibus tubercula et excavationes pulmonum reperiebantur, ita ut multi auctores maliasmum productum dyscrasiae illius habeant.

Jam supra, quum de contagiis ageremus, diximus, quomodo transferatur maliasmus ad hominem, et quaenam sint ejus symptomata. Certissimum signum semper est in conformandis abscessibus illis. Accedit dissolutio sanguinis totius typhosa, interdum exulceratio narium.

DE TYPHO CARBUNCULARI.

Jam memoravimus, quosnam animalium morbos complectatur hoc nomen. Symptomata vero, quibus plerumque existunt, sunt haecce:

Saepius animalia, quum ad hocce spatium integra sanitate fuerint, subito collabuntur atque intereunt. Interdum quaedam morbi signa antecedunt mortem, anxietas et inquies permagna, vacillatio totius corporis; pulsus fit debilis et tardus, convulsiones comparent. Nec tamen eadem semper celeritate decurrit morbus, perdurat interdum septem ad duodecim dies, maxime si debiliora affecit ani-

malia: nulla tum pabuli appetentia, ingressus tardus, capite demisso auribusque dejectis. Febris jam prodit inflammatoria, quae quidem citius abit in typhosam; collabuntur bestiae et resurgunt subito, alta voce clamantes et mugientes. Calor extremitatum minor quam trunci, secretio lactis est praepedita; profunditur ex faucibus saliva putrida et foetida, quae erodit tunicas mucosas adjacentes. Saepe dolores intestinorum exstant vehementissimi. Collapsus virium semper augetur, defaecationes fiunt involuntariae, respiratio omnino fere sublata, pulsus irregularis; abdomen multo aëre expansum; convulsiones totius corporis afferunt mortem. Inter cujus morbi decursum interdum observatur symptoma pessimum, carbunculosis, inflammatio et exulceratio cutis gangraenosa.

Signum morbi pathologicum est dissolutio sanguinis putrida et destructio organorum gangraenosa inde effecta. In iis vero casibus, ubi sine ullo morbi signo moriuntur animalia, saepius hyperaemia cerebri est reperta, interdum extravasatum sanguinis, interdum malacia cerebri et medullae spinalis, saepe nulla fere mortis causa. Extravasata in omnibus intestinis jam inventa sunt. Sin autem aliquot dies constitit morbus, occurrit imprimis inflammatio ventriculorum et intestinorum putrida atque gangraenosa. Eadem hepatis et lienis mutatio a nonnullis

auctoribus comprobatur. Abdomen totum est impletum aëre foetido, venae majores sanguine dissoluto, nigro turgescunt. Inflammatio et gangraena pulmonum ab aliis auctoribus certissimum morbi signum habetur, ab aliis omnino negatur. Symptomata phlebitidis ex resorptione puris saepe adsunt.

In homine signum morbi pathognomonicum est carbunculosis. Evadit enim in parte cutis illa, ad quam contagium est translatum, papula parvula rubra, atque in ea vesicula, quae die tertio vel quarto commutatur in pustulam lividam, sanguine dissoluto repletam. Pustula ipsa vesiculis minoribus circumdatur. Tunc plerumque devastatio sphacelosa existit, quae nisi citius terminatur, lethalis est.

Adest inflammatio vasorum lymphaticorum et venarum proximarum, febris putrida exoritur; languor artuum, prostratio virium, anxietas animi et inperturbatio; nullus ciborum appetitus, digestio perversa; color cutis ictericus, defaecatio tarda, cephalaea gastrica. Sensim increscunt symptomata nervosa; somni inquies, deliria nocturna; pulsus fit debilis, irregularis, filiformis, respiratio frequentissima, incontinentia urinae, facies Hippocratica, mors claudit scenam. Rarius superatur dies morbi tertius, nunquam fere septimus.

Si morbus ex usu carnis in homine natus est, ab initio praevalent symptomata gastrica: dolores

in regione epigastrica, abdomen expansum, vomituritiones et vomitus ipsi. Inde intumescunt plerumque glandulae axillares et salivales, parotides imprimis inflammantur. Nec tamen deficiunt carbunculi, sed existunt jam primo alterove die in variis corporis locis: atque quidem contenderunt nonnulli, eo meliorem esse prognosin morbi, quo celerius et magis increscant carbunculi, et quo majus ulcus efficiant.

In sectionibus maxime dissolutio sanguinis et inflammatio intestinorum gangraenosa apparuit. In uno casu Viricel Lugdunensis pustulam intestini ipsius observavit.

DE SCABIE.

Omnia fere animalia scabie afficiuntur, praecipue oves, equi, canes, boves. Sunt autem duo scabiei genera, scabies sicca et ulcerosa. Animalia, dolore cutis perfricante impulsa, terunt cutem, donec capilli vel lana omnino effluit. Tum animadvertuntur vesiculae minores, quae in scabie sicca exsiccantur et desquamantur, in scabie autem ulcerosa in pustulas transeunt. Affligit haec imprimis oves, iisque mortem exulceratione phagedaenica et febri hectica adducit.

Exanthema, quod ex contagio scabiei animalis interdum in hominibus exoritur, est vesiculosum,

scabiei nostrae simillimum, sed nullo modo in pustulas abire videtur, nec eandem eruptionis viam sequitur. Minime enim parcit faciei et capiti, nec imprimis in superficie artuum volari observatur.

DE APHTHIS EPIZOOTICIS.

Sunt quidem aphthae pecorinae exanthema oris vesiculosum, cui plerumque juncta est febris gastrica: appetitus et sitis imminuuntur, magna virium prostratio adest, secretiones omnes sunt retardatae, fauces paullulum inflammatae. Postquam vesiculae die morbi quarto vel sexto in ulcera parva abierunt, regeneratur epithelium oris atque animalia integram sanitatem recuperant.

Feruntur exempla, in hominibus per contactum aut per usum lactis eundem morbum exstitisse, febrem erysipelatosam cum eruptione oris aphthosa.

MALIASMUS.

CASUS PRIMUS.

Aegrotus, vir viginti annos natus, quum jam complures dies doloribus artuum lancinantibus et magna virium lassitudine affectus fuisset, febri cum frigore et calore tum continuo correptus est. Exorta ex majore salis amari dosi diarrhoea per unam fere hebdomadem afflixit aegrotum. Decimo autem post incipientem morbum die allatus in nosocomium haecce praebebat symptomata:

Summa artuum fatigatio et virium prostratio, caput somnolentum, deficiente memoria, interdum coma, ita ut vix responderet aegrotus ad illa, quae interrogarentur; deliria nocturna. Pulsus centies decies in horae parte sexagesima tangebat digitum, debilis erat et parvus; lingua arida, colore fusco; gustus perversus et putridus. Abdomen permagnis doloribus vexabatur, imprimis in regione iliaca dextra. In faecibus sub microscopio corpuscula puris, nec tamen sanguinis cernebantur; faeces ipsae multo muco obtectae erant. Tussis cum sputis serosis et spumosis juncta. Nullum certum signum ex percus-

sione pectoris et auscultatione apparebat, in dorso tamen rhonchus mucosus interdum audiebatur. Urina cruda, paullulum acida, ob retentionem per catheterem excernebatur. Cutis valde calida erat et arida.

Ex quibus quidem symptomatibus, quum de aetiologia nihil certi exploratum esset, morbo nomen typhi abdominalis est datum. Prognosis valde dubia erat, maxime ob retentionem urinae. Praescribebatur aqua oxymuriatica, et ad bibendum et ad corpus lavandum; inunctio abdominis cum unguento cinereo instituebatur.

In nocte postera deliria typhomana et stupor major exoriebantur. Pulsus frequentior quam die anteriore, irregularis et valde debilis erat. Abdomen expansum dolores fere nullos, si comprimebatur, excitabat.

Prognosis pessima habebatur et ob pulsus conditionem, et ob exacerbationem febris matutinam et retentionem urinae.

Nocte sequenti aegrotus decessit.

In dissecando cadavere jam occurrebant maliasmi symptomata: abscessus circumscripti, musculis immersi, quorum cava, tunicis propriis vestita, pus crassum, granulatum continent. Plurimi abscessus reperiebantur in musculis femorum et surarum, duo quidem in musculatura cordis. Cerebrum et pulmones hyperaemici; in superficie pulmonis dextri indu-

rationes exstabant complures, quae jam partim in suppurationem transibant. In renum pyramidibus multi minores abscessus, in hepate cystis permagna Echinocci apparebant. Glandulae mesenteriales induratae, nulla alia intestinorum commutatio pathologica.

CASUS ALTER.

Aegrotus, auriga triginta annorum, in itinere ante octo dies subito equum amiserat, nullo ut videbatur morbo affectum, quem ipse semper curaverat. Spatio trium dierum intermisso, auriga magno totius corporis frigore, calore inde continuo correptus est. Capitis languor et aurium tinnitus sequebantur. Uno fere die ita peracto, dolores lancinantes artuum vehementissimi prodibant. Surae imprimis et brachia quum comprimerentur, dolorem excitabant; in musculis eorum indurationes plures inerant. Tussis sicca, sputa pauca, nullo sanguine tincta. Percussio pectoris nulla morbi symptomata afferebat, sed per auscultationem rhonchus subcrepitans in parte pulmonis sinistri inferiore posteriore exaudiebatur. Appetitus nullus, permagna sitis, gustus perversus; abdominis musculi relaxati, regio hypochondriaca sinistra paullulo sensibilior. Pulsus acceleratus, sed parvus erat et debilis. Quum aegrotus remedium purgativum adhibuisset, complures defaecationes exstiterant.

Diagnosis morbi potissimum apparebat ex doloribus illis et indurationibus musculorum, quae quidem symptomata maliasmo propria suspicionem movebant, equum ipsum maliasmo periisse, atque inde contagium ad aurigam esse translatum.

Praescribebatur aqua oxymuriatica contra dissolutionem sanguinis typhosam, unguentum mercuriale et fomentationes calidae contra indurationes musculorum. 5. XI.

Nocte quidem sequente somnus aegrotum profundus recreabat, transpiratio quoque cutis fiebat. Sensorii ipsius affectio minor, organa tamen auditus et visus satis perversa erant. In musculis dorsi dolores lancinantes, nec tamen indurationes ruborque cutis exstabant. Sputa mucosa, globosa, non sanguinolenta, respiratio accelerata. Pulsus eadem celeritate qua die anteriore erat; urina fusca, eximia sedimento mucoso, in quo analysis chemica et microscopica corpuscula sanguinis et coagula albuminosa ostendebat. Ex quibus quidem formatio abscessuum in renibus comprobabatur. Nulla cutis secretio, lingua arida, sed colore erat sueto. Defaecationes tres. 6. XI.

Per noctem posteram magna jactatio et insomnia cum perversitate animi vexabant aegrotum. Dolores quidem surarum et pectoralis musculi sinistri imminuti erant, in dorso autem et in musculis interco-

stalibus dextri lateris et dolores et indurationes apparebant. Respiratio impedita et difficilis erat, in parte pectoris posteriore inferiore sonus crepitans, in anteriore mucosus. Dolor in scrobiculo cordis aderat; sputa tenacia, sanguinolenta. Urina fusca, hepatica fere, nec tamen eandem cruoris et albuminis praebebat copiam, quam diebus anterioribus, et sine ullo dolore dejiciebatur. Nulla cutis transpiratio, sitis permagna.

Cura. *Kali hydrojodinicum*, quod ab Andral in morbis typhosis valde laudatur, praescribebatur. (Rec. Kali hydrojod. ♃ i. ad Aq. destil. ℥vi.) Ad cutis secretionem commovendam lotiones aceti calidi adhibebantur; ob statum phlogisticum musculorum pectoralium cucurbitae cruentae imponebantur. 7. XI.

Insomnia cum deliriis per noctem torquebat aegrum. Dolores pectoris magis ad scapulam conversi erant; crucians tussis sputa globosa, sanguine tincta, proferebat: auscultatio rhonchum crepitantem in parte pectoris posteriore, sibilantem in anteriore offerebat. Urina pellucidior. 8. XI.

Per dies insequentes symptomata musculorum inflammatoria et dolores sensim deficiebant aegrotum, nec tamen functiones sensorii in integrum restituebantur, quum deliria nocturna saepius affligerent aegrotum. Rhonchus subcrepitans in pulmone sinistro, in aliis partibus mucosus audiebatur, sputa

erant cocta. Urina pellucida, non sanguinolenta, renes ad sanitatem rediisse comprobabat. Pulsus debilis quidem, sed celeritate consueta, lingua humida. 11. XI.

Nulla major status mutatio, dolores vero surarum iterum aderant, quam ob rem cucurbitae cruentae et frictiones unguenti Kali hydrojodinici praescribebantur.

Symptomata praevalebant dyscrasiae typhosae, inquietudo nocturna, perversitas sensuum, magna totius corporis defatigatio. Prognosis igitur, quamvis symptomata maliasmi evanuissent, dubia permanebat. 13. XI.

Ab illo tandem tempore symptomata morbi semper remittebantur, cessabant deliria, quum stupor quidem minor complures dies remaneret; tussis nulla fere, sputa mucosa, inspiratio nullo modo impedita sanitatem pulmonum comprobabant. 18. XI.

Majore convalescentiae spatio interjecto, auriga integram salutem recuperavit.

VITA.

Natus sum ego, Carolus Pagenstecher, in urbe Nassovia, die XIII. mens. Januar. ann. MDCCCXXIV, parentibus Alexandro Pagenstecher, med. et chir. doctore medicoque practico, et matre Julia e gente Jung, quos vivos adhuc maxime veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Quum pater meus Elberfeldam se contulisset, ibi per annos novem gymnasium frequentavi, unde testimonio maturitatis instructus, tempore autumnali ann. MDCCCXLI almam Fridericam Guilelmam Rhenanam adii. Ibi ab Ill. Bischof, t. t. Rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus et a Decano Ill. Harless in album ordinis medici inscriptus sum.

Per annum unum hisce interfui lectionibus: Ill. Harless de encyclopaedia et methodologia, nec minus de Hippocrate; Ill. Pluecker de physice; Ill. van Calker de logice; Ill. Bischof de chemia organica et anorganica; Ill. Goldfuss de zoologia; Ill. Nöggerath de mineralogia; Ill. Treviranus de botanice; Ill. Mayer et Weber de anatomia universali. Iidem duces mihi fuerunt in cadaveribus dissecandis.

Ineunte hieme anni MDCCCXLII Georgiam Augustam petii, cujus civibus a Prorectore magnifico Bergmann adscriptus sum. Per quatuor semestria hasce ibi frequentavi scholas:

Ill. Langenbeck de anatomia et de chirurgia; Cel. Wagner de physiologia; Ill. Berthold de anatomia comparata; Ill. Marx de pathologia et therapia generali et de materia medica; Ill. Fuchs de pathologia et therapia speciali, de diagnosi morborum et de morbis syphiliticis; Cel. Trefurt de arte obstetricia.

Clinicis interfui virorum Ill. Langenbeck, Fuchs et de Siebold.

Inde Berolinum me contuli, ubi a Rectore magnifico Ill. Hecker inter cives academicos receptus, et a Decano maxime spectabili Ill. Wagner in album facultatis medicae relatus sum.

Disserentem hic audivi Ill. Wagner de medicina forensi et politia medica. In exercitationibus clinicis duces mihi fuerunt viri Ill. Truestedt, Juengken, Wolff, Schoenlein.

Jam tentaminibus, tam philosophico quam medico, atque examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione et thesibus rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Variolois non est variola vaccinatione modificata.
2. Inter varias coremorphoseos methodos praestantissima est iridectomia.
3. Summa est chemiae vis in digestione, nullo tamen modo sufficit ad eam plane explicandam.
4. Placenta post partum adhaerens semper arte solvenda.